Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26122
Copyright: Admont, Benediktinerstift

46

Operę pretium sane est post ista noscere. quis fuerit hic iosephus.
et unde uel ex quo genere originem ducens. qui tantam nobis materiam
rerum gestarum cognitionisque prestiterit. Exponit quidem etiam hec ipse
de se hoc modo scribens. Iosephus mathathie filius ex ierosolimis sacer-
dos. qui et ipse primo bello romanos obpugnaueri(m). et posterioribus in
chilomini interfuerim plus necessitate constrictus. Constat quidem hunc
uirum per idem tempus non solum apud iudeos proprios ciues. uerum etiam apud
romanos habitum esse nobilissimum. ita ut litterarum merito in urbe
roma etiam statua donaretur. et libri eius bibliothecę traderentur.
Conscripsit namque antiquitatum hystoriam in XX. libris. belli uero iudai-
ci cum romanis habiti hystoriam. septem uoluminibus comprehendit.
Quam non solum greca facundia. uerum et patrio id est hebreo sermone
suis etiam ciuibus se edidisse confirmat. dignus cui per cetera omnibus
debeat credi. Sed et alia eiusdem uiri extant de iudeorum uetustate
duo uolumina. In quibus contradicit appioni cuidam grammatico iu-
deorum. qui illis temporibus aduersum iudeos scripserat. et ad alios quosdam qui
morem gentis iudeorum. atque instituta laceraueran(t). In primo quidem
ex his duobus libro que uolumina apud hebreos in auctoritate
habeantur secundum maiorum traditionem per hec edocet. CAP. X.

Neque igitur innumera inquit apud nos habentur
uolumina inter se inuicem discordantia. sed duo tantum et
XX. sunt libri. qui omnium temporum seriem continent. qui et iuste
creduntur diuinitus inspirati. Ex quibus quinque sunt mosei continen-
tes leges uitę. et successionis humanę prosapiam. usque ad ipsius
mosei terminum pertendentem. qui paulo minus ad tria milia annorum